

LĪNA ET IĀSON

SĪVE

LĪNAIDIS CAPITA ŪNDECIM

QUOD OPUSCULUM Ā
IŪSTŌ SLOCUM BAILEY
EST CŌNSCRĪPTUM

QUĪ ADĪRĪ POTEST PER
JUSTIN@INDWELLINGLANGUAGE.COM

HAEC EST ĒDITIŌ ĒMENDĀTA SECUNDA

**plūra ad hanc fābulam pertinentia inveniuntur apud
indwellinglanguage.com/lina-et-iason**

huic Anglicō nūntiō quaesō ignōscātis, attamen pāreātis:

This work is licensed under the Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 4.0 International License. To view a copy of this license, visit <http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/> or send a letter to Creative Commons, PO Box 1866, Mountain View, CA 94042, USA.



I.

Līna sociīs valedīxit domumque petīvit. Tōtā diē vix quicquam negōtīi gesserat, dē domō enim atque dē lāsonē marītō ferē sine intervallō somniāverat. Nihil Līnae longius vidēbātur quam ut marītum convenīret, quippe quae gravida īnfantem prīmōgenitum sēministrī spatiō post paritūra erat. Līna īnsuper studiōsissima erat videndī ūtrum marītus sibi aliquid hilaritātis parāvisset: erat enim Līnae diēs nātālis.

In viā tamen propter hominum frequentiam Līna lentissimē prōgrediēbātur. Mīrāta est quānam rē tanta turba viās complēret, nec animam huic reī intendere valuit: marītī videndī dēsideriō implēta Līna domum trahēbātur.

Tandem Līna domum pervēnit. lānuā apertā, “revēnī!” inquit, nec ūllam audīvit resalūtātiōnem. Līna paulum mīrāta est lāsonem nōn adstāre ad sē salūtandum, fierī autem poterat ut lāson in hypogaeō versārētur vel in cubiculō merīdiāret. In hypogaeum igitur dēscendit Līna marītum petītum, sed hypogaeum vacuum erat hominibus. Cum ad ātrium iterum ascendisset, Līna brevī culīnam mediānumque perambulāvit antequam cubiculum versus tetendit. Sine dubiō lāson ibi somnum capiēbat.

Cubiculō intrātō, Līna lāsonem expectātum in thalamō iacentem vīdit, quī solitō mōre in latere dextrō iacēbat, lōdīce purpureā tēctus, faciē āversā.

Aggreditur ergō Līna ad marītum salūtandum. In ōrā lectī cōnsēdit, coepit marītī umerum mulcēre. Nōlēbat enim marītum subitō ex tam mollī somnō rapere. Post trēs quattuorve minūtās autem genam lāsonis māximā lēnitāte tetigit, eius calōre est frūcta. Marītō adhūc immōtō iacente, Līna cōstituit sē ipsam marītō adiungere. Lōdīcem remōvit—et obstupuit: camisia lāsonis rubēbat tōta, madēbat....sanguine. Līna iam vix spīrāns manum sub nārēs lāsonis extendit—nec animam sēnsit.

lāson erat mortuus.

II.

Līna attonita corpus marītī mortuum spectāvit. Tōtō ipsa tremēbat corpore. Prīmum nesciēbat an oculīs cōnfīdere posset, dein vōce mǎximā gemuit. Lectum pulsāvit, lacrimās ēdidit, marītum est complexa tremēnsque tenuit.

Sēnsit autem corpus marītī adhūc calēre—sīc intellēxit marītum nūperrimē occīsum esse—et aliud quid sēnsit: arculam quandam sub marītī cervīce.

Extrāxit Līna arculam eamque manibus trementibus vertit, nec ūlla vīdit claustra. Frūstrā cōnāta est arculam aperīre, sciēbat enim eam quōdammodō ad mortem marītī pertinēre.

Subitō Līna sonitum post sē audīvit. Capite versō per iānuam vitream spectāns fruticēs in āreā postīcā trementēs crēvit. An manum hominis vīderat? Līna arculam tenēns celerī gradū in āream contendit, fruticēs petīvit. Nūllō in fruticibus vīsō, ad angiportum postīcum perrēxit. Hīc iterum sonitum audīvit. Coepit sē vertere—et tantā vī percussa est ut praeceps humum caderet.

III.

Capite dolente, Līna oculōs sustulit et circumspectāvit. Ecce, hominem celeriter fugientem vīdit—erat fēmina! Faciem fēminae vidēre nōn poterat, sed illa capillōs rūfissimōs habēbat quī, fēminā currente, vehementer quassābantur. Et manū tenēbat—Līnae arculam!

Līna magnō cum labōre surrēxit fēminamque rūfam secūta est. Diū—fortasse decem minūtās—currēbant, Līna enim rūfaque cor pulmōnēsque fortissimōs habēbant, nec altera celeritāte alteram praestābat.

Tandem rūfa cōstitit. Num fessa erat? Līna sciēbat sē eam mox captūram esse, sed subitō raeda nigra appāruit cuius forēs quasi per sē apertae sunt. Fēmina coepit raedam cōnscondere, sed Līna brachium eius cēpit. Summā cum vī cōnāta est fēminam ē raedā trahere, dum vir quīdam in raedā sedēns ex alterā parte rūfam in raedam trahere cōnātus est. Inter certāmen Līna brevissimē faciem fēminae cōspexit. Nōnne eam iam anteā alicubi vīderat? Līnā dē hāc rē cōgitante, vir vīcit: rūfa in raedam cecidit, raeda discessit.

Līna victa, lassissima in margine viae cōnsēdit, coepitque lacrimās fundere. Omnīnō dēspērābat. Tandem oculōs aperuit—et obstupuit: arcula illa inter pedēs Līnae iacēbat! Sine dubiō arcula ceciderat, Līnā et alterā certantibus. Mīrāns Līna et aliud quid animadvertit: verba in arculā appārēbant! Lacrimae Līnae, ut vidēbātur, hoc efficiēbant. Līna arculam sūmpsit, cautē īspexit verba appārentia . . .

IV.

At verba nōn Latīnē, sed quādam aliā linguā scrīpta esse vidēbantur: *CLVM TN*. Līna exspectābat dum plūrēs litterae appārērent, sed nihil appāruit. Līna maesta et dēfessa domum petīvit.

Villā intrātā, Līna vix circumspexit, animadvertit autem aliquid mūtātum esse, nec sciēbat quid. Līna lentō gradū ad cubiculum perrēxit. Iānuā apertā, Līna oculīs haud crēdidit: corpus marītī aberat! Multa alia quoque erant nova: lectus omnīnō reffectus erat, quasi nēmō umquam in eō recubisset! Līna stupēns cubiculī supellectilem cautius īspexit. Pictūrae marītī omnēs dēerant. Nunc Līna per tōtam villam festīnāvit, omnia īspiciēns. Omnēs imāginēs, omnia documenta vītae marītī ēvānuerant! Līna perterrita in culīnam contendit, cultrumque cēpit ad sē dēfendendam. Aliquid mīrī agēbātur!

Cubiculō iterum petītō, Līna in lectō cōnsēdit, arculam verbīs ignōtīs īscrīptam adhūc tenēns. Ubinam erat marītī corpus? Cultrum alterā manū, alterā arculam tenēns, verba rūsus īspexit. Cōnsonantēs vīdit, nec ūllās vōcālēs. Quōmodo tālis īscrīptiō legī poterat?

Dum arculam manibus volvit, Līna cāsū sē cultrō secuit. Līnā magnā vōce exclāmante, multum sanguinis fluit ē manū, quae arculam tenēbat. Et...plūrēs litterae appārēbant! Vōcālēs lentē inter cōnsonantēs appāruērunt, et Līna tandem īscrīptiōnem legere valuit:

CLAVEM TENEO.

V.

CLAVEM TENEO. Līna īnscrīptiōnem identidem relēgit. Quam clāvem tenēbat arcula? Līna arculam quassāvit, nec quicquam clāvis īnstar audīvit. Quidnam sibi voluit īnscrīptiō?

Quantō magis Līna īnscrīptiōnem sēcum volvit, eō magis īrāta facta est. Nihil intellēxit. Vīta Līnae spatiō ūnīus hōrae collāpsa erat. Īra, maestitiā aucta, ēbullīre coepit. Līna tamquam ursa boāre coepit, lectumque et parietēs percutere. Magis magisque furēns Līna cultrum sūmpsit (hunc enim inter furōrem cadere sīverat) et magnā cum vī arculam pupugit.

Statim magna cōpia sanguinis ex arculā efflūxit, multō plūs quam arcula continēre posse vidēbātur. Līna attonita cultrum extrāxit, sed sanguis effluere perrēxit. Post pauca temporis mōmenta tanta sanguinis cōpia effluerat ut rīvulus sanguinis per iānuam ē cubiculō flueret.

Subitō Līna aliquem appropinquantem audīvit.

VI.

Līna riguit. Alterne sciēbat Līnam adesse? Sine dubiō clāmor Līnae audīrī potuerat.

Alter homō lentō gradū per vīllam appropinquāvit. Vix spīrāns Līna sē rogāvit ūtrum satis temporis sibi manēret ad fugiendum vel ad sē cēlandam, haud enim inter tantam sanguinis cōpiam invenīrī voluit. Subitō autem cōsiliū alterīus generis eī occurrit: fierī poterat ut homō appropinquāns esset ipse marītī percussor!

Līna cōstituit neque fugere neque sē cēlāre. Necesse erat rem intellegere, nōn fugere.

Cultrum artius tenuit Līna. Alter ille iam paene advēnerat.

Gressūs audīrī dēsivērunt, at Līna iānuam lentissimē aperīrī crēvit. Tam animam quam cultrum artē tenuit.

Tandem iānuā ita erat aperta ut Līna intrantem spectāre posset. Erat—vir qui fēminam rūfam in raedam trāxerat!

“Arculam nostram habēs, bella,” inquit ille.

Līna arculam cruentam intuita est. Scīre dēbuit rūfam istam vel hunc virum ad arculam repetendam reventūrōs esse!

“Trāde mihi arculam,” inquit vir.

“Nihil tibi trādam,” respondit Līna. “Ubi est marītus meus?”

“Ha! Nescīs?”

“Dīc mihi ubi sit!”

“Nihil tibi dīcam,” respondit alter, coepitque Līnam aggredī.

Līna vix sciēbat quid faceret. Timōre irāque commōta prōsiluit, cultrum tollēns. Vir nōn erat parātus: antequam ille sē dēfendere potuit, Līna collum eius cultrō secuit!

Cultrō retractō, vir sanguinem sput, lectum versus claudicāns. Tandem in lectum prōcubuit, sanguine opertus—eōdem locō ubi marītus Līnae mortuus iacuerat.

VII.

Haud prius mortuus erat ille vir, quam ut plūrēs gradūs extrā cubiculum audīrī possent! Nōn autem riguit Līna hāc vīce, sed statim corpus virī lōdīce cēlāvit et sē ipsam post iānuam apertam cēlāvit. Prō certō habēbat fēminam rūfam appropinquāre, socium quaerentem.

Fēmina ad cubiculum pervēnit. Līna animam eius audīre poterat sēque parāvit ad pugnandum. Simulatque fēmina cubiculum intrāvit, prōsiluit Līna, fēminam ā tergō cēpit, cultrum ad collum eius tenuit.

At capillī quōs ante oculōs habēbat nōn erant rūfī, sed flāvī! Līna mīrāns alterius caput ad sē vertit, stupēnsque cognōvit nōn fēminam, sed virum vīcīnum—dīlēctum lāsonis amīcum!

Amīcō agnitō, Līna cultrum ā collō eius remōvit, at ille attonitus corpus in lectō iacēns indicābat.

“Eum occīdistī!” clāmavit ille.

Līna oculōs ad lectum convertit. Ibi crūra, nec vultus, iacentis vidērī poterant, iamque lōdix magnā cōpiā sanguinis tincta erat. Amīcus vidēbātur putāre Līnam lāsonem occīdisse!

“Sanē occīdī, nec hic lāson est,” respondit Līna. “Ecce.” Ad lectum agressa Līna lōdīcem remōvit. Vīcīnus quoque appropinquāvit quō cautius corpus īspiceret. Quō vīsō, vīcīnus dēnuō obstupuit. Ille virum agnōscere vidēbātur!

“Venī statim mēcum,” iussit Plastus—sīc enim nōminābātur—quō dictō, manum Līnae prēnsāvit eamque mīrantem ē cubiculō trāxit. Paene currēns Plastus Līnam ē vīllā ad raedam suam dūxit, iussit Līnam cōnscendere. Ipse raedam ingressus statim raedam māximā vēlōcitāte in viam ēgit.

Dum iter carpunt, Līna caput vertit ut vīllam spectāret—quae subitō māximā cum vī, māximō cum fragōre, māximō cum ignī displōsa est.

VIII.

Hannō, puer ūndecim annōrum, cautē aedificium ingressus est. Ob tenebrās prīmō vix quicquam cernere poterat, at mox oculī tenebrīs assuētī sunt.

Sēcum volvit Hannō id quod vir ille iusserat: *“Venī hōrā octāvā vespertīnā, venī sōlus, affer epistulam.”*

Iam imminuit octāva. Hannō sē certiōrem fēcit epistulam adhūc in sinū esse, dein prōcessit. Aedificium permagnum erat, sed Hannō iam satis bene per tenebrās perspicere poterat, aedificiumque satis bene nōverat. Bis dextrōrsum flexit, dein semel sinistrōrsum, dein iterum dextrōrsum. Ecce scālae! Hannō dēscendit, tertiam īanuam petīvit, īanuam pulsāvit.

Vōx virī audīta est: “Quis pulsat?”

“Umbrellus pulsat,” respondit Hannō.

Īnua statim quasi per sē aperta est. Hannō lentē intrāvit, tum in mediō conclāvī cōstitit. Vir in sellā ornātā sedēbat; fēminae duae prope adstābant.

“Tē exspectābāmus,” inquit vir. “Epistulam habēs?”

“Habeō.” Hannō epistulam extrāxit et virō trādīdit. Epistolā explicātā, vir diū et intentē lēgit. Illō legente, Hannō virum īspexit. Eum anteā convēnerat. Nunc autem Hannō camisiam eius paene tōtam rubentem animadvertit. Num sanguine imbūta erat?

“Ignōsce mihi,” inquit Hannō. “numquam nōmen dīxistī.”

Vir lentē oculōs sustulit. Primō Hannō nesciēbat an ille respōnsūrus esset. Tandem ille “Uxor et amīcī,” inquit, “mē vocant lāsonem.”

IX.

“Arcula!” clāmāvit Līna. “Arculam reliquimus!”

“Haudquāquam,” respondit Plastus, arculam cruentam ē sinū prōmēns.

“Quōmodo—”

“Nē cūrēs. Arculam habēmus, tūtī sumus.”

“Quid ergō faciēmus?”

“Exspectā.”

Līna cōnāta est sē cohibēre. Viam impotēns circumspectāvit, villās et tabernās īnspeciēns. Nox iam obscura fīēbat. Subitō fēminam istam rūfam ē tabernā quādam festīnantem cōspexit!

“Ecce socia virī quem necāvī!” clāmāvit. Rūfa iam raedam nigram cōnscondēbat. “Eam sequere!” iussit Līna.

Plastus raedam nigram secūtus est. Post multum temporis flexūsque plūrēs raeda nigra ante magnum aedificium cōstitit. Rūfa dēscendit, iānuam petīvit, intrāvit.

“Eam sequī dēbēmus!” inquit Līna, coepitque dēscendere.

“Manē!” monuit Plastus, nec sine causā: iānuā iam rūsus aperiēbātur. Iānuā apertā, puer quīdam exīvit. Puer, quī erat fortasse ūndecim annōs nātus, cautē viam circumspectāvit, neque raedam Plastī, tenebrīs tēctam, animadvertit. Puer secundum viam properāns discessit.

Līna haesitāvit. Aut puer aut rūfa erat persequenda. Nesciēbat quid esset agendum, at Plastus iam aedificium petēbat.

“Mitte puerum,” inquit. “Rūfa ista est persequenda.”

Itaque Plastus et Līna aedificium intrāvērunt, statimque tenebrīs sunt mersī.

X.

Līna ob tenebrās vix quicquam vidēre poterat. Cautē cum Plastō prōcessit, moxque mōtum quendam ā longinquō crēvit: Rūfa dextrōrsum flectēbat.

Līna et Plastus celerī gradū, nec incautē, Rūfam secūtī sunt, quae iam rūsus dextrōrsum flectēbat. Dein sinistrōrsum, dein iterum dextrōrsum flexit et per scālās dēscendit, Līnā Plastōque adhūc sequentibus.

Per tenebrās Līna iānuam vīdit, quae claudēbātur. Cum Plastō iānuam appropinquāvit, dein haesitāvit. Līna sciēbat sē intrāre dēbēre.

Līna breviter exspectāvit, tum iānuam firmē aperuit.

Haud exspectāverat ea quae cōspexit.

Trēs fēminās—quārum duae erant sociae ex societāte in quā mūnere fungēbātur, tertia rūfa quam secūta erat—et duōs virōs, quōrum alter erat vir quem secuerat! Ultimus erat nēmō nisi . . . Iāson?

Līna gradum retrōrsum fēcit, oculīs nōn cōnfidēns. Nōnne mortuum vīderat Iāsonem? Nōnne corpus eius cruentum tenuerat? Nōnne alterum istum trucidāverat?

Līna paene dēcidit exanimāta, sed Plastus eam cēpit. Rūfa sellam attulit, iūvitque Līnam cōnsīdere.

Tandem Iāson loquī coepit.

XI.

“Fēlicem diem nātālem, mea columba!” inquit Iāson subrīdēns. “Semper dīxistī tē aliquid mīrī velle ad diem nātālem trīcēsimum, necnōn plūs perīculī in vītā. Ergō tibi parāvī aliquid mīrī atque perīculī! Mē mortuum simulāvī, arculam cēlāvī, amīcōs partēs variās agere iussī.”

“Sed—sed istum necāvī!” exclāmāvit Līna, virum indicāns.

“Haudquāquam. Ille histriō perītus tē ēvāsit, sanguine falsō sē punctum simulāns.”

“Vīlla nostra displōsa est!!!”

“Ah. Hoc est vērum. Sed semper dīxistī tē maiōrem vīllam cupere, quō melius familiam augērēmus liberōsque educārēmus. Plaste, aperī arculam.”

Plastus arculam sollerter torsit, quae facile aperta est, tum Līnae arculam apertam trādīdit. Quae cum arculam accēpisset eamque īnspeisset, clāvem argenteam invēnit.

“Ecce clāvis ad vīllam nostram novam!” inquit Iāson. “Modo epistulam accēpī quā certior factus sum vēnditiōnem optimē āctam esse, vīllam novam esse parātam.”

“Quās partēs ēgit Plastus?” rogāvit Līna.

“Ille cūrāvit ut imāginēs cēteraque cāra ē vīllā auferrentur nē ūnā cum vīllā dēlērentur. Etiam cūrāvit ut, vīllā displōsā, hanc suam amīcam”—rūfam indicāvit—“cōspicerēs atque hunc locum invenīrēs.”

Subitō gradūs extrā iānuam audītī sunt. Līna riguit—nimiōs gradūs hodiē audīverat!

“Nōlī sollicitārī,” inquit Iāson. “Hannō cum placentā nātālī revenit! Nunc est celebrandum! Sūrsum ascendāmus, amīcī.”

Cēterīs comitantibus, Iāson Līnam ē cellā et ad pedeplāna dūxit, ubi aulam immānem intrāvērunt. Haec hominibus scatēbat, inter quōs Līna nōn solum amīcōs amīcāsque, sed etiam multōs aliōs recognōvit—eōs enim iam vesperī domum rediēns in turbā vīderat!

“Ferē omnēs oppidī incolās invītāvī,” inquit Iāson, “quī cupidissimī sunt tēcum celebrandī!”—et marītus uxōrem magnō cum amōre complexus est, quae numquam diem nātālem celebrāverat mīrābiliōrem.